

Wd. 25.

Q.



1. de Fide Juridica. Thomasi.
2. de Fundamentis Definiendi causas matrimonial. ejd.
3. de Felicitate subdotum Brandenburg. ejd.
4. de Jure Conscriptuus et Olferantia. ejd.
5. de Constantia et inuspatia. ejd.
6. de Heresie Etiam? ejd.
7. de Actione Fori contra difficiliter ex annulare. ejd.
8. de Crimine Magiae. ejd.
9. de Opere juris paterni Rom. Petri usq; Gen. ejd.
10. Larva legis Aquil. ultra statu aucti de Damnedato.
11. de Hominibus praeceptis et liberis Rom. ejd.
12. de Usu actionum penitentiarum in Gen. ejd.
13. de Starkis entbonis. ejd.
14. Programma ejusdem
15. de opere principis L. et adyada salaria missione
Telephie. ejd.
16. de iure aggraviando Principis Rom. et Rom. ejd.
17. de Difficiliori inter canticis et in conditione de
retrouendendo et contractu pignoratice. ejd.
18. de Opere opificis Petri Vele. et Rom. ejd.
19. de Bonorum secularizatorum nota. ejd.
20. de confessione Regalium ad iura
Prudentiorum non pertinentem. ejd.

21. De iusta oppositione. Genium. Majestaticorum. Superiorum.
 Territorialis et reservatorum Imperiorum.
22. Iudicis Iuris. Majestatici causa saeculari.
23. De Territoriali equitatu ordine sublatu.
24. De secretaritate electorum pecunianorum.
25. De civitate cerebrina.
26. Non cum iure sentio contentio. *Questionum*
 27. De ratiocinatione. *Diff. Philo. de*
 28. De ratioe status. *Diff. Boecias.*
- | | | | |
|-----|---|---|--------------|
| 29. | - | - | VII - VI. |
| 30. | - | - | VII - VIII. |
| 31. | - | - | IX - X. |
| 32. | - | - | XI - XII. |
| 33. | - | - | XIII - XIV. |
| 34. | - | - | XV, XVI. |
| 35. | - | - | XVII, XVIII. |
| 36. | - | - | XIX, XX. |
| 37. | - | - | XXI, XXII. |
| 38. | - | - | XIII - XXIV. |
39. De unione Electoratu. Wildoogel.
40. De nativitate burgum novissima consensu Imperatoris
 et ab humi confecta. *Opin.*
41. De venientiis omnibus Comitum Salatinorum Rheni
 singulari rationibus ac prerogatiis preciuis.
42. De Comitis Knivellati byzantini Rom. Germanici.
43. De observantia Imperiali, per Traj. Rom. German.
44. De Electore Ostaco.
45. De ducato.

9
67

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
USU JURIS PATER-
NIROMANORUM SECUN-
DUM MORES GERMA-
NIÆ ET JUS BORUSSICUM
REVISUM.

Quam
Auspice Deo, ex Decreto Amplissimæ
FACULT. JURIDICÆ
IN ILLUSTRI FRIDERICIANA,
SUB PRÆSIDIO
Dn. CHRISTIANI THOMASII, JC.
Serenisf. & Potentisf. Elector. Brandenb.
Consiliarii, Prof. P. Universitatis FRIDERICIANÆ,
& Facultatis Juridicæ Senioris,
PATRONI AC PROMOTORISSUI
DEVENERANDI
PRO LICENTIA
Summos in jure consequendi honores
D. 27. Junii M. DC. XCIV. Horis matutinis a 7. usque ad 12.
Publicæ Eruditorum censuræ submittebat
ZACHARIAS HESS. Regiom. Pruss.
HALÆ, LITERIS Salfeldianis. ANNO M DCC IV.



Nobilissimo & Consultissimo
Dn. ZACHARIÆ HESS,
I. U. Licentiando.

S. P. D.
CHRISTIANUS THOMASIUS.



Btulisti mihi, Amice dilectissime, disputatio-
nem inauguralem de usu doctrinae juris Ro-
mani de Potestate Patria in foris Germano-
rum, ut illam censurâ, quam alias Praesides ad-
bibere solent, pro llibitu emendarem & corri-
gerem. Legi & diffiteri non possum me
hinc inde quedam deprehendisse, que, si ego de hac
materia quid scribere deberem, vel aliter ponerem, vel
certè aliter ordinarem, vel fusus forte eâ de re differe-
rem. Nolui tamen hic quicquam immutare, cogitans,
quod tua sit hac disputatio, non mea; quod dissen-
siones inter JCTos mansure sint, quamdiu duratura
est Jurisprudentia; quod methodus cuilibet sit arbitria, &
quod nemo ita posse scribere, ut placeat omnibus. Pla-
cuit potius disputatio hac tua, quod viderem, ea, que
posuisti, non esse principis Juris adversa & defendi pos-
se, Teque operam dedisse, ut non ex JCTis absque judi-
cio centones consarcinares male coherentes, sed potius ut
ex ipsis textibus Legum Germanicarum, raro quidem sed
lau-

laudabili profecto exemplo leges tuas derivares. Igitur
reddo tibi disputationem tuam, uti eam mihi exhibuisti,
nihil aliud adjiciens, quam gratulationem de studiorum
tuorum laboribus hucusque feliciter perductis. Benedicat
tibi & in posterum Deus optimus maximus, atque cor tuum
amore suo replete, uti jam ingenium varia eruditione, cor-
pus amoenis & modestis moribus ornavit. Tu vero, quod
in te est, capta strenue perfice, b. e. Disputationem erudi-
tè conscriptam prudenter & placide defende. Hic enim tua
res agitur. Hic monstrandum est publico, quod supremos
juris honores non indignis conferat Facultas nostra. The-
sium eruditissimarum & exactissimarum conscriptio publi-
cum decipere potest. Hic testis oculati sunt, quos dicipere
non facile quis poterit. Sed quid calcar addo generoso e-
quo, qui frenis magis habet opus? Experta jam in conver-
satione privata, in examinibus consuetis virtus tua cer-
tam de Te me spem sovere jubet, quod ita, Deo adjuvan-
te, Te sis & in ipsa collatione publicâ gesturus, ut nil nisi
nomen Presidis mibi, nemini vero dubium remansurum sit,
nec me falso elogio publicum decipere, sed eum, qui solus ta-
lem disputationem tam eruditè defendere posse, capacis-
simum etiam fuisse, ut talē disputationem solus conficeret.
Vale. Dab. m raptim d. 20, Junii 1694.

CAP. I.



CAP. I.

TRACTANS GENERALIA
ET STATUM QVAESTIONIS
FORMANS.

SUMMARIA.

Jus parentum in liberos naturalier non descendit ex jure Victoria. §. 2.
Nec ex recto pacto. §. 3. Nec ex generatione, sed ex alimentatione
& educatione. §. 4. Soli patri non competit, ut putat Hornius §. 5.
Nec soli matri, ut existimat Hobbes §. 6. Sed utrique, non propter
generationem, ad quam concurrunt. §. 7. Sed propter alimentatio-
nem & educationem. Explicatur l. 24. ff. d. Stat. hom. §. 8. Cur
Romani patri soli illud concesserint §. 9. Explic. §. 2. f. d. P. P.
§. 10. Quid si in usu esse? §. 11. Quo jure Germani usi sint? §. 12.
Effectus ex naturali obligatione erga parentes viventes. §. 13.
Usus actionis de in jus vocando in Germania & Prussia, §. 14. ali-
mentorum & legitime parentibus relinquende. §. 15. Successionis
Ascendentium ab intestato in allodialibus §. 16. In feudalibus §. 17.
Venditionis liberorum §. 18. Recensentur effectus ex Jure R. §. 19.
Q. An moribus Germania & Iure Prutenico obtineant & decid.
§. ult. Similique adiicitur, jus civile in casibus jure Prutenico non
deterrit in Prussia haud attendi.

A

§.I. Omnia

§. I.

Mnium populorum institutis, ac
legibus sanctam parentum personam conser-
vatam fuisse historicorum loqvuntur mo-
numenta. Ad superstitionem usque ascen-
dit Judæorum religio, qui ex metu, ne filius
paternum sanguinem effunderet, non permi-
serunt, filium Patri venam secare, imo spinam
ducere, aut ulcus aperire, ne forte sanguis sequatur. Constan-
tin L'Empereur in Bab. *ad c. 8. p. 3.* ap. Pufend. *A. J. N. & G. I. 6.*
c. 2. §. 10. Ast non omnium placitis, & sanctionibus æqua Pa-
rentibus potestas confirmata, & concessa fuit; quibusdam jura
patris limitantibus, quibusdam gentium illa augentibus. In
his Romani, si non summum, certe hanc insinum obtinuerunt
locum: apud quos, quam laxa patribus indulta fuerit potestas,
ex instituto Romuli colligere potes, qui patri concessit terna filii
venditione pecuniam querere; majorem largitus potestatem
patri in filium, quam hero in mancipium. Servus enim semel
venditus, si liber fieret, rursus sub patris potestatem redigebat-
ur. Iterum quoque venundatus & liberatus, servus ut ante pa-
tris erat. Post tertiam demum venditionem eximebatur è pa-
tris potestate. Dionys. Halicarn. *I. 2.* Quod quamvis successu
temporum limitatum, tandem plane abolitum *I. i. C. de Patrib.*
qui fil. alia tamen, & sat pinguis via iura ex Romanorum legibus pa-
tres in liberos suos habuerunt. Prolixum ac tediosum foret,
singulos paterni juris effectus ex horum legibus enucleare. Vid.
Philippum Paschalem *de Viribus P. P.* Ascanium Clementinum
de P. P. Alia me intentio tenet. Scilicet translatio Roma-
norum imperio occidentali ad Germanos, cum progressu se-
culorum Jus Justinianeum scholas ac fora occupaverit, atque
secundum illud judicare tandem Assessoribus Cameræ in-
junctionem fuerit. Ordin. Camer. *de ann. 1500. §. Ordines und ses*
ben; non citra utilitatem disquiri posse censui, quem usum,
mori-

moribus Germania effectus hi Juris civilis quoad Jus paternum lucentur, cui usum juris Prutenici revisi adjungere volui, ne mihi illud Q. Mutii objiciatur: Turpe esse jus studenti jus patrium ignorare v.l. 2. §. 43. ff. d. O. J.

§. II.

Ut vero rem, a capite exordiar non inconveniens erit brevibus diffidere, quo titulo parentes facultatem ac jus in liberos naturaliter, sibi vindicent. In diversas partes hic abeunt iuris moralis doctores. Hobbes in tract. de cive c. 9. §. 2. illud ex jure victoriz deducit ita: In statu naturali, cum omnia in omnes liceat, quatenus quisque ad sui conservationem facere judicat, victorem fieri dominum victi. Ex quo sequitur, iure natura dominium infantis ad istum primo pertinere, qui eundem prius in sua potestate habuerit, verum tuuus est, quod Florentinus in l. 3. ff. d. f. & f. asserit. Cognitionem quandam inter nos a natura constitutam, cui consequens est hominem homini insidiari nefas esse. Quod adhuc pressius ex origine generis humani videre est, dum primo homini Deus sociam adjunxit, quæ ex viri corpore desumpta, quo tenerrimum illius sentiret amorem, quos insuper ipse conditor sanctissimo colligavit foedere. Præterea, cum homo eximium animans sit, i. e. tale, quod non cœco impetu animæ sensitivæ, sed excellenti rationis ductu fertur ad aestimanda ea, quæ prosunt, nocent, vel decora sunt; facile vero advertat, in quævis præcipitiis illum detrudi, si affectibus indulgens in bellum ruat, è contra ex pace non nisi commoda deprehendat, nihil magis optabit, quam societatem non qualemcunque, sed tranquillam, & pro sui intellectus modo ordinatam. Ut pluribus egregie hæc confirmat, & Hobbesii fundamenta evertit Pufendorff. de J. N. & G. l. 2. c. 2. §. 1.

§. III.

Aliud fundamentum querit Dn. Pufendorf, d. rr. l. 6. c. 2. §. 4. præter alimentationem, & curam, quam parentes in educan-

A 2 dis

dis liberis impendunt, illorum imperium liberorum quoque
præsumto consensu adeoque pacto tacito niti asserens, atque similes
 addens ex *la. ff. d. N. G.* ubi is, cuius absentis, & ignorantis
 negotia aliter gesit, obligationem velut ex *contratu tacito*, con-
 traxisse intelligur isti pensandi, quod in ipsis utilitatem im-
 pendit. Sed modeste hic dissentire non dubito, cum firmis-
 sima contra hanc sententiam in *Dn. Præfidis Jprud.* div. 1. 3. c. 4.
§. u. 12. & seqq. inveniri queant. Et quidem primo miscentur,
 & pro iisdem habentur consensus tacitus & præsumtus, qui ta-
 men etiam naturaliter varie differunt. Sic qui suam volunta-
 tem expresse declarare nequit, ille nec tacite. Exemplum est
 in furioso, quamvis enim, creditore debitori chirographum
 reddente, inter ipsos conventum videatur ne debitum exigatur
l. 2. §. 1. ff. de pa. l. 4. 4. §. 5. 8. 4. §. 7. de leg. 1. frusta tamen ex-
 ceptionem pacti opponeret, qui id a furioso acceptum produ-
 ceret *l. 40. ff. d. R. J.* At ex consensu præsumto etiam furiosi,
 quorum v. g. negotia gesta sunt, obligantur *l. 3. §. 5. ff. d. N. G.*
 Inde Paulus in *l. 46. ff. d. O. & A.* Furiosi, ubi ex re actio venit,
 obligantur. Porro consensus tacitus obligat sicutem illos, quo-
 rum factum accessit. Ita si sciens passus illum aliquem pro me
 fidejubere, vel alias intervenire mandati teneat *l. 6. §. 2. conf.*
l. 18. ff. Mandat. Præsumtus autem etiam ignorantis *l. 2. ff. d. N. G.*
 Ex consensu præsumto tenentur etiam inviti, ex tacito non
 nisi volentes. Vid. plur. d. *Jpr. div. l. 2. c. 7. §. 24. 25 seqq.* Se-
 cundo ius hoc paternum ex consensu tacito fluere nequit, quia
 ille ita se haberet, ut per contrarium dissensum tolli possit, & tan-
 tum obtineat in actionibus ante consensum liberis. At nec Pa-
 tri liberum est, nec filio educationis jura cum amieno cuique
 debito, declinare. Nec obicem ponit, quod sibi non repu-
 gnet, aliquid oriri ex precepto legis naturalis, & oriri ex con-
 sensu tacito; Sic homini liberum esse Deo non parere, & tamen
 Deum a fidelibus obsequium sedere stipulari voluisse. Sic ci-
 vem utique munia militaria Reip. debere, & tamen dum miles
 scribitur consensum ejus accedere & sacramentum. Deus
 enim per ejusmodi obsequii stipulationem non novum aliquod
 jus

jus accipit, sed illam obligationem, qua fideles jam tum ipsi erant obstricti, magis declarat. Similiter civis, eo ipso, quo in societatem coit, maximum dat jus corpori in se ipsum, tanquam partem, a quo & sacramentum ad servitia militaria alias debita exigit, nihil novi haec operantur, sed obligationem jam existentem Resp. novum consensum cœu accessorium vinculum (in primis juramentum,) magis firmant v. Pufend. l. 4. c. 2. §. 6. quod secus in Parentibus, qui novum nec antea existens jus in liberos acquirunt. Dn. Praef. in Jpr. div. l. 3. c. 4. §. 16. 17. seqq. At haec minus accurate dicitur, quod negotiorum gestio ex tacito consensu descendat, ille enim iure Romano fundat veros contractus v. l. 13. §. 10. ff. locat. cond. sed potius ex ipso facto l. 3. §. 17. ibi negotio gesto ff. d. N. G. oritur, quod directo non inducit consensum, sed æquitas naturalis à lege confirmata hunc consensum presumptum infert.

IV.

Pro generatione calculum ponit primus ille juris naturalis restaurator Grotius d. J. B. ac P. l. 2. c. 5. §. 1. cum quo conspirant aliqui ejus commentatores, & alii juris moralis doctores. Quia causa (Parentes) naturaliter habet potestatem in effectum (liberos) Less. d. J. & J. l. 2. c. 45. dub. q. n. 24. & quia liberi per generationem, a parentibus optimum ac præstantissimum accipiunt, vitam, quæ verbis Grotii l. 2. c. 24. §. 6. fundamentum est omnium bonorum temporalium, & eternorum occasio. Sententiam illam subvertere studuit Horn. de civit. l. 1. c. 2. §. 2. quamvis rationibus, & exemplis quibusdam parum eo facientibus, quod ipsum etiam observavit ejus censor Epsteinius in annot. ad b. l. Temperandam illam opinionem existimo, ita, ut generationem, fundamentum obligationis paternæ existere statuam, qui enim causa est, ut homo existat, is quantum in se est, & quantum necessario est, prospicere ei debet de his, quæ ad vitam humanam i. e. naturalem ac socialem, nam ad eam natus est homo, sunt necessaria Grot. d. J. B. ac P. l. 2. c. 7. §. 4. Naturalis stimulus, inquit Justinianus in l. un. §. 5. v. sileat C. d. R. II. A. parentes ad liberorum educationem horratur. Et in l. ult. §. 5. C. de bon. qualib. Filios vel

A 3

filias

filias alere patrī necesse est propter ipsam naturam. Quod autem imperium spectat parentum, cui acquirendo occasionem dedit generatio, illud ex alimentatione, & educatione liberorum, cetero vero titulo deducere cum Dn. Pufend. d. J. N. & G. l. b. c. 2. §. 4. Dn. Præf. in Jpr. div. l. 3. c. 4. nullus dubito.

§. V.

Dubia hinc porro exsurgit disquisitio, utrius parentum potestas in liberos naturaliter major sit, patris, an matris, an vero utriusque æqvum jus tribuendum? Matri illud in totum abjudicat Horn. sup. c. l. contendens: Postquam Evæ voluntas subiecta est marito, omne ex illo genitum imperio, quod mater suscipit, parere. Et huic quidem soli, non etiam materno, quod nullum est, cum de potestate matri divinitus concessa nihil quicquam sciamus. Hujus vestigia suppressio quanquam nomine premit Henninges in not. ad Grot. l. 2. c. 5. Sed nimis generali fundamento hoc ntititur, & quidem eo, quo utitur Horn. l. 1. c. 1. nullum imperium, sive publicum, sive privatum homini in hominem competere, absque expressissima constitutione Dei, ejusdemque presentissimo interventu: Quod, si de causa universali, & remota omnium rerum queritur, uti negari nequit, ita, si causa proxima investigatur, simpliciter concedi non potest, verum dicendum est imperium hominis in hominem, tanquam ens morale non existere sine actu humano. Pufend. d. tr. l. b. c. 1. §. 12. Et quamvis nec hoc inficias ire facile quis presumet, lege divina positiva voluntatem uxoris voluntati mariti subjiciente, & hunc dominum illius constitutente, patris jus in liberos pingvius exinde, & potius esse, omnem tamen eo matri sublatam esse potestatem concludi nequit, cum quartum præceptum parentibus æqualem honorem deferens contrarium innuat, & optimus juris moralis docttor Salomon in proverbii c. 1. v. 8. ita moneat: Mein Kind gehorche der Zucht deines Vaters / und verlasse nicht das Gebot deiner Mutter.

§. VI.

Ex adverso Hobbes. c. l. soli matri potestatem in liberos adscribere non dubitat: quia jure naturæ dominium infantis ad eum

eum primum pertinet; qui prius in potestate sua ipsum habet. Manifestum autem est, eum qui modo nascitur, prius esse in potestate matris, quam cuiusquam alterius. Adde quod in statu naturæ sciri non potest, cuius patris filius est, nisi indicio matris. Ejus igitur est, quem mater vult eum esse & proinde matris est. Sed laborat hæc deducere consequentia falsa, ac sup. §. 2. negata hypothesis, quasi statu naturalis esset bellum omnium in omnes. Et ut ut de patre certitudo aliqua infallibilis haberi nequeat, immo enim ipse novit, quo sit exortus satu, attamen sufficit, quod etiam in statu naturæ ex conjugio in terminis naturalibus sumto probabiliter constet, quis sit partus cuiusque pater.

§. VII.

Qui generationem fundamentum hujus juris esse contendunt, utriqve parentum illud tribuunt. Quorum sententiam Physicorum excipit disputatio, uter parentum plus ad generationem conferat. Plutarchum ita differentem inducit Grotius l. 2. c. 8. §. 18. Natura sexum corpora miscet, ut ita de utraqve parte sumta confundat & commune utrisque reddat quod nascitur, ita ut neuter possit discernere, quid suum sit, quid alienum. Contra Aristoteles lib. i. de Generat. animal. c. 21. demonstrat quod fetus materialia a sola matre, à patre tantum ἀρχὴν καίστεως principium motus accipiat, v. Schilt. Philosoph. jur. c. 4. §. 2. Alii aliter. Hanc Physicorum disceptationem non magnopere attendunt opinionis hujus sectatores, sed gradum imperii majorem in casu dissensus patri adstruunt, alii ob sexus præstantiam, alii ob potestatem, qua vir in ipsam uxorem pollet.

§. IIX.

Nos cum alimentationem, & educationem, ad quam liberis debito modo præstandam parentes propter generationem proxime obligati sunt, titulum hujus imperii constituerimus, ad eam vero uterque concurrant, non obscure innuimus extra civitatem, ubi citra pactum coierunt, potestatem in liberos utriqve æquilater competere. Dn. Præf. in Ipr. div. l. 3. c. 4. §. 41. 42. 68. Sed quid est, quod Ulpianus in l. 24. ff. de Stat. hom. dicat: *Lex Naturæ est ut qui nascitur sine legitimo matrimonio matrem sequatur?* Scilicet, matrem

trēm sequi JCtis idem est, ac statum matris civilem sequi Cajus l. i. Inst. t. 4. §. f. Cum enim leges Romanæ ultra naturalem inter parentes, & partum obligationem, etiam obligationis civilis esse cū, P. P. induixerint, & ad eum consequendum legitimū matrimonium ordinaverint, quo intervenerente partus pātrem sequatur c. l. 24. de stat. hom. naturali ratione constat, quod si id non interveniat, partus qui ut membrum societatis civilis statum habere debet, patris autem obtinere non potest, matris conditionem sequi necesse habeat. Schilt. Philosoph. jur. c. 4. §. 2. conf. Grot. d. J. B. ac P. l. 3. c. 7. §. 5.

§. IX.

Sed hactenus dicta naturaliter obtinent. Jura vero civilia, & in specie Romana ab his secessum fecerunt, & quæ mātri æque competebant, soli Patri concésserunt. §. 10. J. d. Adopt. §. 3. J. d. H. Q. & D. l. 5. C. d. Adopt. Romani enim in primis studuerunt, ut familiarum amplitudini, ac dignitati consulerent, ex qua totius Reip. dignitas aëstimanda est. Cum ergo constet, nihil melius ad augmentum & conservationem familia conferre, quam si totius familiae unius sit gubernator: id vero ita demum eveniat, quando omnes personæ in domo Patris familias existentes, ejus potestati subjiciuntur, ne quidquam impedimenti ipsi impedimenti ipsi opponatur, singulis familiis & consequenter Reip. satis expedire judicarunt Romani, si patri soli potestatem in liberos adscriberent. Id quod factum est natura non repugnante, quæ juxta Aristotelem l. Polie. 13. & 14. marem aptiorem ad regimen formavit. Quod leges Romanæ clare testantur, quibus fragilēs naturæ fœminæ sunt l. un. §. 15. C. d. R. II. A. & quod fœminæ consilium adversus propriā commoda inveniatur laborare l. 4. C. de Sponsal. quod facile decipiuntur. Nor. 6r. c. 1. §. 2. §. 2. 3. ff. ad S. Vellej. Accedit, quod, cum dignitas familiarum ex earum præsertim antiquitate, latisimaque propagatione, itemque ex patrimonii facultatibus per multis descendentium gradus producta linea aëstimetur, fœmina parum eo conferant; utpote quæ & familia sua caput & finis sunt l. 195. §. ult. ff. d. V. S. conf. l. 19. ff. de Stat. hom. l. 196. §. 1. ff. d. V. S. vid. Anton. Fab. Jurispr. Papin. t. 8. pr. 1.

§. X. Non

§. X.

Non solum autem patribus potestas in liberos ex jure naturæ competens LL. civilibus corroborata, sed & major & rigidior superinduita fuit. Hinc Justinianus §. 2. J. d. P. P. illud jus proprium civium Romanorum, nulosque alios esse homines afferit, qui talem in liberos habeant potestatem. Cujus asserti veritatem alii in ratione quaerunt, quæ Romanos impuniti pari ejusmodi potestatem concedere, quæ ut modo dixit, fuit dignitas & augmentum familiarum. Cum enim non nisi per justas nuptias eveniat, ut diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus l. 220. §. ult. ff. d. V. S. & illæ immortalitatem artificiose inducant Nov. 22. in pr. necesse, aut certe quam maxime conveniens fuit, ut cives Romani maximis privilegiis ad nuptias invitarentur, & omnimoda potestas etiam vita ac necis l. II. inf. ff. de lib. & postb. l. ult. C. de P. P. in liberos illis indulgeretur, ne forte propter contumaciam, moresque perditos liberorum alii à voto illorum procreandorum revocarentur. Anton. Faber. t. I. ill. 1. Alii ad attributa referunt, quæ huic potestati apud Romanos fuere propria, quod scilicet legitimationibus, adoptionibus constituta, & minima capitis diminutione ac deportatione fuerit amissa Vultej. ad §. 2. J. d. P. P. Mæstert. d. iust. Roman. LL. I. I. d. 27. Alii & rectius ad strictissimam potestatem vita ac necis, duram liberorum venditionem, omnimodam honorum acquisitionem, §. I. J. per qv. pers. nob. acq. & alias singulares effectus restringunt. Vinn. §. 2. J. d. P. P. Qui asperri, & duri Romanorum mores, quamvis postea Græcorum condimenti temperati sint, non parum tamen remansit, quod de stricta illorum potestate loco testimonii esse potest. Cujus usum moribus Germaniā indagare jam animus est.

§. XII.

Enim vero non longam ac prolixam explicationem efficiuntur juris illius (quod & ab initio premonui) ne ētere, nec qualiter in Republica Romanorum usum habuerint, inquirere volo; omnes enim, quotquot in prima juris elementa ac Pandectas commentati sunt, ad naufragium rem inculcant, ut ea propter non verear, ne mihi objiciatur, quod versatissimus in praxi JCtus

B

Lauter.

Lauterbach post explicationem peculii profectitii, indeque descendente in actionem de peculio, (ex quo non minimus paternus in liberos potestatis apud Romanos effectus dependeret) tandem subjungit, plus difficultatis quam utilitatis hanc materiali habere. Simul autem notandum, quid sit in usu esse, de quo constabit si scias, quid denotet non esse in usu. Duplici vero modo dici potest aliquid non esse in usu, vel (1) si quid in Republica receptum, postea infrequentius usu populi ita languescat, ut rarissime ejus amplius utilitas se exserat vel (2) non est in usu, quod receptum non est, vel si ex complexu variarum legum quicquam receptum sit, quicquam minus certe de eo quod in viridi observantia non est, non esse in usu affirmari potest. Si enim iuris non constituuntur ex his, quae forte uno aliquo casu accidere possunt, & quod semel aut bis existit, praterentur *LLatores* l. 3. c. 6. f. de *LL.* cur usus estimari debet ex eo quod inopinato bis vel ter in seculo evenit, vel evenire potest? *Dn. Praef. in vind. coroll. de exig. us. Pand. & in differt. de llsu act. p. 1. c. 1. §. 28.*

§. XII.

Simul vero, dum de moribus Germaniarum sollicitus sum, notabis, Germanos duplici iure usos fuisse, Jure Francico in superiori Germania, in inferiori Jure Saxonico. Postquam enim Carolus M. Rex Francorum Saxones devicerat, illis majorem, ac alias libertatem reliquit, ita, ut quoque peculiaria jura, & leges a Francorum legibus quodammodo diversas, in gratiam Saxonum, qui insuper suis moribus, ac placitis vivebant, promulgarerit. Mores ac placita Saxonum privatus quidam in unum corpus collegit; quod nomine Speculi Saxonici, der Sachsen Spiegel venit, & hoc totam inferiorem Germaniam obligabat. In Germania superiori, ut dictum, juris Francici auctoritas magna erat. Hoc jus incerto quodam auctore ad imitationem Saxonum partim ex jure scripto, partim ex aliis consuetudinibus postea collectum, editumque sub titulo Speculi Svecici der Schwaben Spiegel. Et in plerisque cum Speculo Saxonico convenit excepta successione. Vid. Illustr. Dn. Stryk, in discurs. prelim. Us. mod. l. 6. §. 14. Horum iurium tanta adhuc vis est ut, antequam ad Jus Justi-

Julianum recurramus, pritis illa attendenda sint, & illorum ratio, ultimo demum Ius Julianum, ut subsidiarium. Id §. 22. 27. 32. Quories ergo effectus aliquis juris paterni deducitur ex his Germanorum iuribus, qui legibus, Romanorum etiam obtinet, cave usum illius his adscribas cum leges Romanæ intuitu conservudinum, ac juris Germanorum in Germania longe post suam subsidiariam auctoritatem acceperint.

§. XIII.

Quod effectus ipsos atinet, separandi sunt illi, qui in genere ex relatione, & naturali obligatione, qua liberi parentibus astriguntur, procedunt, quosque jus civile determinavit, confirmavit, auxit, & quorum particeps uterque parentum est, ab illis, qui ex solo beneficio legum civilium, vel si in naturali jure fundati, ex illorum restrictione ad solum patrem, dependent. Prioris generis sunt, quod liberi parentes non possint in jus vocare sine venia impetrata sub pena 50. aureorum l. 1. 2. 3. ff. l. 3. C. de in jus. voc. §. 12. J. d. ad l. 12. ff. de injus. vot. quod liberi egenis parentibus succurrere l. 5. pr. §. 12. 15. ff. de agnos. & alend. lib. l. 8. §. 5. C. de bon. qua lib. illis legitimam titulo institutionis relinquare debeant, Nov. 115. cap. 3. 4. 5. quod parentes liberis aquiliter ab intestato succedant, Nov. 118. c. 2. quod parentes liberos, si alia ratio eos alendi non supersit, vendere possint, l. 2. C. de patr. qui fil. quem textum etiam de matre loqui exinde patet, quia Diocletianus & Maximianus in l. 1. C. eod. in genere loquuntur de parentibus, quod neque venditionis, neque donationis titulo neque pignoris jure aut alio quolibet modo liberos in alium transferre possint, quam constitutionem deinde Imperator Constantinus in subseq. lege 2. limitat, nisi propter nimiam paupertatem egestatemque vietus causa, sc. pueri sanguinolenti. Et ad hæc Imperator Constantinus adhibet in d. l. 2. verbum *si quis* quod tam masculos, quam feminas complecti, ita clare doceat Paulus in l. 1. ff. d. V. S. ut non mereatur, qui (ut alias in l. 17. ff. de inoff. test.) a Fulgoso per capillos interrogandus sit, quid habere velit. Conf. plur. Philipp. Paschal. d. tr. p. 2. tot.

§. IV.

Antequam ulterius progrediatur, usum modo adductiorum
donum effe-

effe&tuum in medium adducere è re esse. judicavi. Primus erat, quod liberi (ratione patris intellige emancipatos l. 3. C. d. in jus voc. vel etiam suos in illis causis, in quibus contra patrem agi poterat) non possint parentes v. l. 4. §. 2. ff. de in jus voc. Usylland §. 12. J. d. act. in jus vocare sine venia impetrata sub poena, §. 50. au-
reorum l. 12. p. f. ff. de in jus voc. Hujus rei ratio non obscura est, quia antiquissima in jus vocatio privata erat, imo dura & vio-
lenta Francisc. Broeus ad §. 12. J. d. Act. Barn. Briffon. de formul. & solemn. pop. Rom. lib. 5. pr. Hac postea sublata, interim privata, qua ignorantie judice actor curabat reum vocari per apparito-
rem usque ad Justinianum permanxit. Schilt. exerc. ad ff. 7. tb. 4.
v. Nov. 112. c. 2. & Nov. 53. Cum ergo naturali ratione honor pa-
rentibus debeatur, ut nec rusticati venia præbeatur l. 3. C. d. in
jus voc. qui per ejusmodi in jus vocationem facilis modo ladi po-
terat, liberos veniam editi petere decebat. Ast in Germania,
quia citationes non nisi prævio decreto judicis fiunt, venia illa
impetratio una cum actione de in jus vocando cessat. Cz. 1. c. 2.
d. 26. ut ea propter conscripta formula libelli hujus actionis,
quam inter alios etiam exhibet Schneid. ad §. 12. J. d. act. n. 69. ci-
tra ja&cturam carete possumus & inutilis practicorum cautela sit,
supplicationibus, in casta, si lis contra ejusmodi personas mo-
venda, petitionem venia subjungentium. Illust. Dom. Stryk.
in usu mod. ff. d. in jus voc. Jus Prutenicum quamvis citationem
privatam non permittat Proc. jud. t. 14. a. 1. §. 1. hoc tamen in casu
venia impetrationem sub poena arbitraria, & nullitatis citatio-
nis observari sancivit Prl. c. t. 14. a. 6. §. 6.

§. XV.

De usu alimentorum parentibus a liberis præstandorum minus dubii est, cum haec ex officio pietatis illis debeantur, & iniquissimum sit patrem egere cum filius sit in facultatibus l. 5. §. 13. ff. l. 1. C. d. agn. & al. iib. Quid vero alimenta in se comprehendant vid. Coler. de alim. l. 2. c. 1. Inquiramus de legitima, quæ parentibus titulo institutionis relinquenda. Haec quatenus alimenta in se continet, juris naturæ est Nov. 1. in pref. §. 2. Et hinc, si haec salva sint, etiam statuto tolli, & parentibus ac libe-
ris necessitas illam relinquendi remitti potest, prout in effe&tui
nob

Hobiscum sentit Gail. 2. O. 122. Mynf. 5. O. 43. Leges vero civiles illius quantitatem determinare licet potuerant, & sat rationis habuerunt, cur, ne parentibus illa auferretur, tam sollicita fuerat. Parentibus enim quia alimentatione, & laboriosa educatione bene beateque vivendi auctores liberis existunt, nec similem gratiam nec parem meritis honorem rependere possimus, monente Aristotele 8. Nicom. ult. Sed unde hoc foris Germanie receptum quod legitima non nisi titulo institutionis relinquenda. Apud veteres Germanos nullus testamenti usus fuit. Tacitus de morib. Germ. c. 20. Quo propior autem postmodum gens Germanorum Romanis fuit, eo major testamento rum usus invaluit, ut egregie hoc deducit diligentissimus juris Germanici observator Schilt. in exerc. ad ff. 14. 1b. 29. & seqq. In Speculo Svevico aliqua de testamentis inveniuntur Vid. lib. 1. tit. Vater erbet des Sohns Gut & Cap. 253. Wie ein Kind Vater und Mutter Erbe verwircket. Cap. 296. meretur, quod hic adscribatur, agit enim de rescissione testamenti per querelam in officio. Und ist das ein Vater durch seinen ublen Willen/ sein Sohn/ oder seine Tochter / seines Guts will enterben/ und wollte er das über Handfest machen/ daß en mag mit Recht nicht gesein. Sie brennen ihm die Briefe woll mit Recht/ und das thun wol Sohn und Tochter / ob sie ihr Erbe nicht verwircket haben. Haben sie aber ihr Erbe verwircket/ als dis Buch hiervon sagt/ so thut es der Vater wol mit Recht. Seynd aber die Kinder nicht zu ihren Tagen kommen/ so der Vater das Geschäft thut/ das schadet den Kindern nicht. Wann der Knecht kommt zu den vierzehn Jahren/ und die Magd zu zwölff Jahren/ so seynd sie zu ihren Tagen kommen/ so versprechen sie ihr Gut wol/ und ist stete/ was ihr Vater mit seinem Gut geschaffet hat. Et ex Cap. 262. colligere licet, quod filius liberius potuerit testari de bonis, quia a patre non profecta sunt: Und hat der Sohn ander Guth gewonnen/ dann daß ihm sein Vater gab und gibt ihm Gott geschafft/ er gibt das Guth mit gesunden Leib oder an dem Todtewen wenn er will. Speculum Saxonicum utut in multis cum Speculo Svevico conveniat, sicut etiam de successione ex testamento. Successu temporis longa

consuetudine testamenti factio in Germania inferiori quoq[ue] introducta, donec crescente juris Justinianei auctoritate, uberior testamentorum seges spargi & uberrima litium testamentariarum messis (quod infra notabimus) colligi coepit. Jus hoc Justinianeum respectu rigidi illitus juris XII. Tabul. quo ut quisque Paterfamilias legasit, ita jus erat (cui propter degeneratam regiam potestatem in Tyrannidem iam in statu consulari, & mutata Reip. facie in statu populari respectu hujus dispositionis testamentariae in multis derogabatur, vid. Schilt. exere. ad ff. 14. tb. 9. & seqq.) maxime ductum naturalis aequitatis secutum est, inde & augmentum legitime pro numero personarum quibus haec debetur, magis ordinavit etiam quoad semiensem in parentibus Nov. 118. c. 1. in f. de quo alias dubitat Frank. ad tit. de inoff. test. n. 32. & tandem sancivit, quo haec legitima titulo institutio- nis, ut liberis, ita & parentibus relinquatur Nov. 115. c. 3. 4. quod praxi ac usu Germaniae confirmatum est. Cz. p. 3. c. 9. d. 1. 2. Jure Prutenico idem statutum, nisi quod legitimam parentibus debita indistincte, i. e. non attento numero personarum constituant tres quadrantes hereditatis E. R. 1. 5. 1. 3.

§. XVI.

Quomodo ex naturali ratione parentibus liberorum hereditas debeatur vid. Grot. d. J. B. ac P. l. 2. c. 7. §. 9. Dn. Pufend. d. J. N. & G. l. 4. c. XI. §. 19. Dn. Präf. in Jpr. div. l. 2. c. 10. §. 188. 189. Ast quomodo moribus Germaniae audiamus. De successione parentum jus Germanorum plura, quam de successione ex testamento disponit. Speculum Svecicum patri liberorum successionem tribuit in bonis quæ ab illo pervenerunt, de matre vero vivente patre tacer Cap. 262. Und stirbt einem Vater sein Sohn / und hat er ihm Guth ausgeben / es sei fahrendes Guth oder ander Guth / und hat er weder Weib noch Kind / der Vater erbet des Sohns Guth / es mag der Bruder noch die Schwester nicht erben. vid. Cap. 284. Speculum Saxonicum matrem videtur clarius excludere, & soli patri successionem, in bona liberorum concedere, lib. 1. a. 17. utit & hic dissensus Doctorum appareat vid. Dn. Stryk. in tr. de success. ab int. dif. 2. c. 3. §. 1. quem Elector Saxoniz

Saxonie in suo territorio composuit P. 3. C. 17. ac sancivit matrem cum patre simul succedere debere. Si tamen filia decebat & reliquat utensilia die Gerade, in his mater praefertur patri d. lib. 1. n. 27. modo alia bona adhuc supersint, alias patri legitima debetur. Richter de success. ab int. sedl. 2. m. 1. n. 31. Ex illis juribus insimul constat, parentes omnes collaterales excludere, quod adhuc in Saxonia obtinet Cz. p. 3. c. 17. d. 6. Bened. Reinhard. P. 1. diff. 29. Ceterum universalem Germaniam observantiam in punto successionis ab intestato docere difficillimum est, cum in omnibus fere provinciis intuitu hujus materiae statuta supervenerint, quibus deficientibus, ut & consuetudine, juri civili, tanquam subsidiario standum. Jure Prutenico eadem fere hic sancita, quæ jure civili. Nam & ibi pater & mater aquiliter ad successionem liberorum vocantur. Speciale solum hoc habet, quod distingvatur inter siquum ruptum, & integrum h.e. inter liberos decedentes soluto inter parentes matrimonio, & nondum soluto. Posteriori casu obtinet dispositio Nor. n. 3. c. 3. Priori fratres, & sorores bilaterales excludunt patrem vel matrem, sive divisio bonorum facta sit, sive non. Hoc tamen intellige de bonis paternis vel maternis. In bonis enim aliis adventitiis, castrenis, & quasi castrenis, is, qui a parentibus in vivis ad huc est, una cum fratribus vel sororibus admittitur Pr. L. 1. 5. t. 12. a. 2. §. 5.

§. XVII.

Hæc in allodialibus obtinent. Jure Feudali ascendentibus descendentibus non succedunt z. F. 50. nec Pr. L. in feudo novo quod in Prussia feudum strictum appellatur l. 7. t. 2. §. 1. nisi (1) feudum novum jure feudi antiqui datum Struv. Synt. Jur. Feud. c. 9. apb. 3. n. 4. (2) nominatum cum domino pactus fuerit pater, si filius decesserit quod feudum ad se reverti debeat. F. 84. Pr. L. Plures except. vid. in Dn. Stryk. exam. Jur. Feud. t. 16. q. 4. Nec in feudo antiquo, nisi pater feudum antiquum refutaverit, quo filius investiretur, hic vero vivo patre sine herede masculo decedat Finckelth. diff. Feud. 6. lib. 33. l. d.

§. XLIX.

§. XIX.

Venditionem liberorum moribus Germaniaæ invaluisse patet ex C. 407. Spec. Svev. Wie ein Mann sein Kind verkauffet durch ehhaft Noth/ das thut er wol mit recht. Er soll es aber nicht verkaussen/ daß man es thet in das Husr. Hauss/ er mages einem Herrn wol zu eigen geben. Hodie ejusmodi venditionem non obtinere verum hoc casu existente. Magistratum subvenire notat Struv. Synt. Jur. civ. ex. 23. th. 27. An vero ejusmodi casum extitis- se sciverit, quærerem?

§. XIX.

Sed redeamus ad effectus, qui ex jure Romanorum natales suos ducunt, aut si juris naturalis sunt, illo jure soli patri concessi sunt. Et potiores secundum Dd. sunt sequentes. Liberi inconsultis parentibus, quorum in poteestate sunt (de nepte vid. l. 16. §. 1. ff. d. R. N. De matre §. 10. J. d. Adopt. l. 20. C. de nupt.) non possunt vota matrimonialia contrahere l. 7. §. 1. ff. d. Spons. pr. J. l. 2. ff. 12. C. d. nupt. Sed horum consensus præcedere debet, ut nec cratihabitio sufficiat pr. J. d. Nupt. Et si nihilominus fuerint consummata, nulla sunt, liberique ex ius nati illegitim i. 11. ff. de Stat. hom. quæ tamen omnia in emancipatis aliter se habent. l. 25. ff. d. R. N. Pater potest liberis intestamento tutores dare, qui nec confirmatione opus habent l. 1. §. 1. ff. d. conf. tui. perl. 7. C. de curia fur. nec satisdant, pr. J. d. satisd. tui. l. 2. 3. ff. d. conf. tut. l. 17. pr. ff. d. usf. aut. Mater regulariter non potest dare arg. §. 10. J. d. Adopt. Si tamen dederit cum inquisitione confirmandi l. 4. ff. d. ref. tut. l. 2. ff. d. conf. tut. Reliqui binis regulis includi possunt, quarum prima est. Filius & pater habentur pro una persona l. f. C. d. impub. & alii subff. v. §. 4. J. d. inut. stipul. l. 22. S. 1. C. d. Agricol. & cens. l. 11. t. 47. Inde inter patrem & filium nulla civilis obligatio §. 4. J. d. inut. stip. nec donatio l. 17. 11. C. d. donat. nec lis l. 4. ff. d. jud. Inde pater potest liberis pupillariter substituere pr. J. d. pup. substic. Altera est. Filius quicquid acquirit, acquirit patri; habita sc. distinctione bonorum §. 1. J. per qu. pers. nob. acq. Hinc pater est legitimus administrator bonorum filii eo invito, l. 1. C. d. bon. mai. l. 6. §. 2. C. d. bon. que lib. etiam si filius legitimæ ætatis sit, f. §. 3. C. d. bon. que lib.

Et filius

Et filius stare nequit in judicio sine consensu patris, *l. f. pr. v. necessitate C. d. bon. quælib. nec potest testari, l. 6. 3. ff. qui test. fac. poss. nec circa consensum patris mortis causa donare l. 7. §. 4. ff. d. don. l. 25. §. 1. ff. d. m. c. donat. nec mutuo obligari, l. 1. 9. §. pen. ff. d. Sæt. Maced. l. 40. ff. d. cond. indeb. §. pen. 7. quod cum eo.*

S. XX.

De his Dd. querunt, quem usum in Germania hodie praebant, sv. quod eodem recurrit. Q. An patria Romanorum potestas moribus Germanicæ obtineat? Si decisionem JCrorum Batariorum Gudelini *d. Jur. nov. l. 1. c. 13. §. 5.* Vinni *ad §. 2. J. de P. P. & alibi passim.* Gronvægii *in tr. d. LL. abrog. ad. tit. J. d. P. P. & aliorum attenderemus, negativæ promptissime subscribendum eset.* Ita enim hic ultimus. *Magna illa usig[us] singularis potestas, qua cipium Romanorum propria fuit, ejusq[ue] peculiares effectus nostris & aliorum moribus in desuetudinem abierunt.* Sed præterquam, quod plerique illorum de suis tantum moribus intelligendi sint, Gronvægen in primis nullam rationem suæ assertionis satisfisimè affert, verum simpliciter afferit: *Hæc lex abrogata, vid. illust. Dn. Stryck, in disc. prælim. usus mod. §. ult.* Ex Germanis nominare possum Giphaniū, non insini ordinis JCrum. Sic enim ille in comm. ad §. 2. J. d. P. P. *Quare si mores nostros spectemus, nulla amplius est potestas civilis, de qua hic agitur, sed naturali tantum observantia & reverentia.* Cui adstipulatur Schulz ad §. 2. J. d. P. P. Videtur distinguendum esse inter potestatem, quæ patri competit jure & moribus Germanorum, & illam, quæ ex legibus Romanorum descendit. Quin apud Germanos pater præ matre facultatem aliquam majorem in liberos habuerit, dubitari nequit. Nam & illi feminas propter imbecillitatem animi minus capaces judicarunt, quæ sibi ipsis, multo minus toti domui, & familia dignæ consulere potuerint. Hinc moribus illorum feminæ in perpetua sunt tutela. Spec. Svev. c. 259. & 309. Saxon. l. 1. art. 45. conf. Schilt. exer. ad ff. 37. §. 241. 242. Matri tamen etiam aliqualem in liberos potestatē, patre mortuo indultam fuisse parer ex L.L. Wisigothorum l. 4. 1. 2. c. 13. Et Specul. Saxon. lib. 1. art. 13. mentionem iijicit emancipationis à matre factæ. Hanc Germanorum in liberos potestatē, utut per

C

mores

mores recentiores quodammodo limitatam, (quod inferius deprehendes) hodie in desuetudinem abiisse non dixerim. Nota est Electoris Saxonie sanctio p. 2. c. 10. Weil in den Sächsischen Rechten nirgend zu befinden/dass die väterliche Gewalt insonderheit ussgehoben/ so bleibt auch dieselbe nochmals nicht unbillig bestehen. Quid veromores Germania circa effectus hujus potestatis ex Jure Romanorum receperint, ex cap. seqq. apparebit. Jure Prutenico paternum in liberos jus obtinere, singula ferme paginæ inculcant. De Matris aliquali potestate occurrit textus in l. 2. t. 1. a. 1. §. 1. & l. 5. t. 14. a. 2. §. 2. qui §. ex Spec. Saxon. l. 1. a. 13. de-
promptus est. An vero xquales, ut Juris civilis, effectus intuitu hujus juris in Prussia frequententur, itidem ex seqq. videre erit. Alias pro Jure Justinianeo egregius se offert textus in l. 5. t. 1. a. 2. §. 1. ibi: als haben wir aus obgedachten Kaiserlichen Rechten/ welche noch meyerntheils in unserm Herzogthum Preussen gehalten/ und observiret. &c. Cujus ductu non incommode queritur. An jus Prutenicum in casibus non decisis suppleatur per jus civile commune? Videtur dicendum, quod sic. Regulariter enim omissa in statutis remanent sub dispositione juris communis. Decian. v. 2. R. 31. n. 37. Carpz. 2. dec. 102. n. 10. Sed placuit Serenissimo Electori & Legislatori juris Prussici secundum recessum conventus provincialis d. ann. 1612, ut illa, quæ forte in illo decisæ non reperiuntur, novæ potius ejus decisioni vel dijudicationi submittantur, quam ex peregrino jure dirimantur Const. derog. §. Es ist auch unser Wille und Meinung. conf. Adam Riccius Prof. Reg. tr. Raps. de quant. & qual. lib. jur. Rom. p. 283. § 284.

C A P. II.

**OSTENDENS USUM EFFE-
CTUUM JURIS PATERNI, QUI JURE
CIVILI SOLI PATRI ADDI-
CUNTUR,**

S U M -

S U M M A R I A.

Nuptiae absque consensu parentum consummata hodie subsistunt. §. I. Pater liberis testamento iutores recte dat, quia tamen confirmandi. §. II. Nec Patri Elektorii testamentaria tutela admota. §. III. Inter parem & filium moribus Germanorum donatio firma fuit. Quid hodie? §. IV. Inter parem & filium lis hodie esse porci. §. V. Pater hodie liberis pupillariter substituit, & hoc in casu matrilegitima relinqua. §. VI. Peculium profectitum Romanorum ignorunt Germani. Quid juris hodie apud Germanos patri questum circa peculium adventitium & profectitum §. IX. Quid apud Borussos §. IX. Unde parentibus competat administratio bonorum liberorum §. IX. Apud Germanos testamentum condens Paterfamilias esse debet. Idem apud Borussos. §. X. Testamenti factio multas lices in Germaniam invexit. §. X. Filius sine patris consensu m. c. non donat, nec mutuo etiam hodie obligatur. Idem in Prussia. §. ult.

§. I.

Accedamus ad effectus; qui jure Romanorum patribus solis addicuntur, quorum primus est, quod liberorum nuptiae illis nescientibus contractae & consummata non subsistant. L. 2. 18. 35. d. R. N. Mundum & coelum, & totam mundi machinam literatorum contra nuptias absque parentum consensu initas clamare, dicit Chassan. in catal. glor. mund. ap. Göchhausen p. 3 per. 6. qv. acad. 36. Jure ne ergo, an injuria id fiat, videamus. Distincte autem inquirendum est, quid Juris sit patribus ut talibus, & ut capitibus familiarium, quid ut patribus familias, qui in civitatibus degunt. De priori vide sis Grot. d. 7. B. ae P. l. 2. c. 5. §. 10. Pufend. d. 7. N. G. l. 6. c. 2. §. 14. Dn. Präf. in Ipr. div. l. 3. c. 4. §. 76. 77. 78. Posterior confiderationi nostra subjiciendum est, & quidem quid juris patribus familias circa nuptias liberorum Germani largiantur. Veteri jure Francico, & Germanico consensum parentum & qvæ, ut jure civili fuisse necessarium, adeo, ut qui non canonice, & irrequisito

parentum consensu uxorem sibi adscivit, nunquam lieberos legitimos atque hereditabiles generaverit, docet nos Capit. Franc. c. 127. 363. lib. 7. Insuper matrimonium volente patre rumpebatur. Leges Alemannorum C. LIV. ita disponunt: *Si quis filiam non desponsatam sibi acceperit uxorem, si pater ejus eam requirit, reddat eam, & cum XL. solid. eam componat.* II. *Si autem ipsa fæmina sub illo viro mortua fuerit, antequam illi mundum apud patrem acquirat, solvit eam patri ejus CCC. sol. III. Et si filios aut filias genuit, ante mundum & omnes mortui fuerint, unumquemque cum Wregeldo suo componat patrifæmine.* Cujus juris vestigia in Comitatu Hennebergico observari testatur Schilt. in exerc. adff. 3. §. 12. Sed jus recentius à jure hoc Germanorum veteri, ut & Romano, diuersum quid introdixit. Etsi enim consensus parentum ad ineundas nuptias utique & hodie requiri debet, & citra gravissimum peccatum omitti nequit, etiam a liberis emancipatis Carpz. 2. def. 49. ut inde, si res adhuc sit integra, & parentes justas sui dissensus causas allegare possint, matrimonium initiatum propter negle&ctum & matris consensum apud nos distrahi queat Richt. v. 1. p. 2. conf. 4. per integr. attamen consummatum per copulam carnalem firmum manet Carpz. 2. d. 60. & 4. c. 20. d. 15. liberi ex eō geniti legitimi sunt, nec ratihabitio parentum attenditur, nisi quod hac contrahentibus proficit quoad successionem, quam parentes illis propter contemnum sui secundum statuta locorum admire possunt. Dn. Lynck. in Anal. ad pr. J. de Nupt. & ad Struv. Synt. Jur. civ. iii. d. R. N. 1b. 23. Spec. Svev. C. 381. Ita disponit: Wann ein Jungling zu XIV. Jahren kommt / so nimmt er wol ein Echliches Wyp ohn seines Vaters Willen. Also ob sie ihr Fleisch zu einem der gemischt haben / der Knabe und die Jungfrau / und ist das nicht geschehen / so mag man sie sundern. II. So die Jungfrau kommt zu XII. Jahren / so ist sie zu ihren Tagen kommen; Nimmt sie ein Mann ohn ihres Vaters und Freundes Willen. Die Ehe ist stet. Conf. Declaratio Carol. V. in Comit. Augustanis Ann. 1548. iii. Vom Sacrament der Ehe. S. Darum dieweil die väterliche Gewalt. An vero hujus ratio exjure Canonico, quo consensus parentum ad consummatas nuptias non est de necessitate; c. sufficiat 2. c. 27.

qu. 2.

qu. 2. c. 6. X. d. Rapt. an ex jure divino petenda sit, discutiendum relinquo. Jure Prutenico modo dicta utramque paginam implent, nam & ibi consensus parentum five prima, secunda vel tertia vice vota conjugalia ineantur, neutiquam negligendus. Et si liberi clandestinis despousationibus desistere recusent, parentum arbitrio liberum est, utrum dotem & donationem propter nuptias illis denegare, an illos pro ratione circumstantiarum totali exhortationi subjictere velint *l. 2. t. 1. a. 1. §. 3. v. l. 5. t. 5. a. 1. §. 5.* Quod si vero talen despousationem copula carnalis sequatur, ea ex approbatione consistorii subsistit. *l. r. c. 1. 2. §. 4.*

§. II.

Ut vero patrum potestas apud Romanos se maxime exserbat, dum in vivis erant, ita effectus illius potestatis quodammodo post illorum mortem extendebatur. Poterant enim ultima sua voluntate liberis suis impuberibus tutores constitueri, qui novellos hos Reip. cives regerent. Quod leges civiles non sine ratione illis permiserunt. Quippe patres bene scientes rationem facultatum suarum creduntur liberis, ut corporis sui partibus quam optime prospicere *l. 7. pr. C. de Curat. sur.* ab eo maximè tempore, quo ipsi illis ad vitam civilem regendis superstites esse nequeunt. In tantum autem leges Romanorum hoc patribus concedebant, ut nec confirmatio magistratus accederet *l. 1. d. ff. Conf. tut.* Mores Germaniae nec hic patri omne detraxerunt. Ita Spec. Slev. *C. 319. & 321. ap. Goldast. tom. Der Reichs-Händel.* Es mag ein Vater bey seinem lebendigen Leibe ob er will / seinen Kindern mit Recht einen Pfleger geben / wer der ist / den er denn wohl getrauet. Demselben befiehlet er sein Kinde / und ihr Gutz wenn er denn stirbet / soll sich der Pfleger der Kinder und ihres Guts unterwinden. Restinxerunt saltem illam tutela dationem ad confirmationem Magistratus Ord. Pol. *d. 4. 1548. iii. 31. §. 2. & de Ann. 1577. i. 32. §. 2.* Ut ut hodie in plerisque locis tutor à patre datus itidem cum inquisitione confirmetur Plac. & Schilt. *ad §. f. 7. d. Tutel.* & inde inter tutorem à patre & matre reliquum non amplius magna superstite differentia. Cavere insuper indistincte debent *d. O. P. de ann. 1577. iii. 32. §. 3.* Sufficit tamen in plerisque locis,

bona immobilia posidere, satis enim pupillis jure tacite hypothecæ consultum videtur. *Noric.* ad pr. f. d. satisd. tut. *Moy.* ad Jus Lubec. l. 1. t. 7. a. 2. n. 53. *Rittershus in Nov. 72.* Jus Prutenicum tutores à matre datos, cum inquisitione & cautione à patre reliatos, simpliciter confirmari sancit l. 2. t. 6. a. 1. §. 2. 3.

§. III.

Hic quæritur an a Patre Electore liberis testamentarius tutor constitui possit? Graviter hæc quæstio superioribus annis ventilata est. Negantes quæstionis decisionem inde derivant, quod controversiæ juris publici ex moribus, ac publico Germanorum jure amputandæ sint. Illis autem antiquioribus testamentarias tutelas, ut testamenta, incognitas fuisse, postea constitutione publica proximo agnato legitimam tutelam delatam esse, qui inde jus quæsumum obtinuit. A. B. c. 7. §. 4. ibi: *Si Principem Electorem seu ejus primogenitum, aut filium seniorem laicum mori, & heredes masculos legitimos laicos defectum etatis patientes relinquare contigerit, tunc frater senior tutor eorum & administrator exstat v. Gevold. Zeschlinus. Friedenreich. in Synops. contr. de tut. & adm. Lampad. de Rep. R. Germ. p. 3. c. 4. Wurmser exere. jur. publ. 2. sh. 17.* Sed habent contraria sententia auctores non pauca, quæ hic reponunt, quibus rescribo v. Gothofred. & Freher de tut. Elect. Contr. ad Lamp. p. 3. c. 4. §. 25. Dn. Rhet. lib. 1. jur. publ. t. 7. §. 9. Temperamentum affert Bets. d. patr. illuſtr. fam. c. 7. p. 238. Aliud commendat Schilter in Exere. ad ff. 37. n. 2. 3. scil. ut tutori legitimo testamento relinquatur tutela, & adjungatur tantum tutor honorarius, cui potestas sit impediendi, & præcavendi, si quid præjudicium legitimus intendat. v. eundem c. l. n. 5.

§. IV.

Quod porro pater & filius secundum naturam habeantur pro una persona, vel ipse Imperator Justinianus in l. f. C. d. im. pub. & aliis subſtit. negat. *Natura*, inquit, & *pater & filius una eademque persona PENE intelliguntur.* Unitatem ergo hanc fixit subtilitas Romanorum, ignoravit simplicitas Germanorum, quod ex conclusionibus ex hac regula descendantibus patescit. Et quidem ob eam, cum nec obligatio inter illos consistat, pater filio

filio in potestate donare nequit l. 11. 17. C. d. *donat.* Except. v. ap. Lauterb. *comp. jur. tit. d. donat.* Hinc divisio facta à patre inter liberos in potestate constitutos de jure non subsistit, cum sapiat donationem Gail. 2. O. 38. n. 1. & 2. O. 16. pr. Sed audiamus Speculum Svecicum *Cap. 18. tit.* Der Kind Auspricht unter vierzehn Jahren: Spricht ain Mann ain Kind an unter vierzehn Jahren / und ist es unschuldig, soll der Vater für es schweren, überzeugt man es der Gethat / und hat ihm der Vater Gut ausgeben, da soll man von plissen dem Kläger und dem Richter. Hat es ihm nicht Gut ausgeben / 2c. Conf. c. 262. Conspirat. Specul. Saxon. l. 1. t. 10. qui textus quidem de notatione facta filio eunti in militiam lo. qui videtur; Conf. l. 4. C. *famil. exercit.* Juris tamen Saxonici Dd. admittunt ejus dispositionem etiam in aliis rebus immobilibus B. Reinhard. d. 6. p. 1. ap. Zobel. *diff. p. 2. d. 15. n. 5.* Et donationem inter patrem & filium contra Juris civilis dispositionem ex observantia & consuetudine in Saxonia adhuc dum obtinere tradit Carpz. 6. *Reß. 119. n. 12. 14. 18.* Coler. 1. dec. 13. n. 3. Vir in jure Saxonico peritisimus ejusque observantia exercitatisimus. Carpz. 2. t. 12. d. 22. n. 9. v. Decis. Elect. 23. Carpz. 6. *Reß. 119.* Coeterum ubi dispositio juris civilis hoc in casu locum habet, ut in Prussia; Lr. l. 4. t. 14. a. 1. §. 4. cautelam Dd. subministrant, ut filius jumento donationem confirmari curet, sic enim valere arg. c. 28. X. d. *jure. c. 2. d. pat. in 6.* Illustris Dn. Stryck *cavv. contr. scđ. 3. t. 9.* §. 3. Et hanc communem, & in Camera appobatam esse opinionem testis est Gail. 2. O. 38. n. 7. Myns 2. O. 33.

S. V.

Nec propter unionem sicutam à jure civilis inter patrem & filium esse potest. l. 4. ff. d. *judic.* l. 16. ff. *de furt.* Limit. v. ap. Clemencinum Ascanium de P. P. c. 8. n. 50. 51. Moribus Germaniae quid constitutum? Speculum Svecicum c. 282. sequentia exhibet. Der Vater soll synen Sohn von ihm sundern, so er fünfundzwanzig Jahr alt ist, mit so viel Gut, als er geleisten mag, also daß ihm das mehrere Theil beliebe, und thut er das nicht gern, der Sun nöthet ihn deswohl mit Recht vor seinem Richter. Quod capitulum, utut loquatur de actione ad rescissionem juris paterni tendente,

dente, jure civili filio non competente l. 4. s. C. de Emanc. lib. argumentum tamen præbet afferendi id, quod volo, in primis cum ex §. præced. appareat, inter patrem & filium moribus Germanorum obligationem existere potuisse. Imo & hodie glossam contrariam l. 4 ff. d. judic. in praxi observari auctor est Vultej. vir in praxi juris Germania versatissimus l. 3. de jud. c. 5. n. n. Conf. Brunnenm. adl. 4. ff. d. jud. Pr. Et. l. 5. c. 14. a. 1. §. 5. & ult. ubi & item contra patrem intentare liberis in potestate existentibus indulgetur, & venditionis, qvæ propter unitatem inter patrem & filium jure civili contrahinequit. l. 2. ff. d. contraempt. mentio injicitur ibi: Weil auch die Eltern / wann sie die liegende Gründe von den Kindern kaussen. sc.

§. VI.

Ignorata ergo in Germania unitas illa patris & filii suit, ignorata & testamentorum factio. Hac vero sensim, ut cap. l. dictum, surgente, & jure Romanorum postmodum vigorem suum accipiente, penitus non omnem legislationem Romanorum circa testamenta Germani receperunt, minus intenti, multa in ea ex unitate illa patris & filii decisa reperiri. Hæc inter est. quod apud illos hodie pater, æque ut jure civili liberis suis pupillariter substituere posit, Carpz. 3. c. 8. d. 16. Quam facultaten statuta quedam matri quoque quodammodo largiuntur Jus Würtenb. P. 3. c. 12. Jus Prutenicum de substitutione pupillari tacet. Obiter hic de questione illa practica agitata inter Carpz. p. 3. c. 8. d. 1. & Dn. Brunnenm. adl. 1. 8. §. 5. ff. d. inoff. test. An sc. matri in substitutione pupillari expressa legitima sit relinquenda; adjiciendum: affirmativam, & juri novissimo Justinianeo, & moribus Germanorum convenientiorem esse. Conf. Confl. Elect. 8. p. 3. ibique Carpz. d. 3. Richt. dec. 45. Finckelth. O. 29.

§. VII.

De acquisitione parentum, qvæ alteram regulam, ex qua effectus juris paterni fluunt, constituit, dispiciamus. Naturaliter parentum potestas ad bona liberorum se non extendit: quanvis non sit ambigendum, illos alimenta ad illorum educationem ex his sumere posse, non obstante naturali obligatione, qua liberos alere

alere tenentur. Dn. Pufend. d. J. N. & G.l.6. §. c.2. 8. Dn. Präf. Ipr. div. l.3. c. 4. §. 69. 70. 71. Ex quorundam ergo populorum legibus est, ut res omnes liberorum parentibus acquirantur, quæ & partem a matre in hac re distingvunt, & filios non emancipatos ab emancipatis, & naturales a legitimis Grot. d. J. B. ac P. l. 2. c. 5. §. 2. conf. l. 2. c. 3. §. 6. Quod quomodo legibus Romanorum sub distinctione obtainuerit, explicat §. 1. & 2. J. per qv. pers. nob. acq. Lauterb. in Coll. Theor. Pract. ad tit. ff. d. pecul. Solliciti simus de moribus Germanorum. In Speculo Svevico occurrit tantum divisione in bona paterna, & in bona acquisita seu adventitia, quorum domini liberi erant v. c. 118. relatum in §. 4. huj. cap. & cap. 262. in cap. 1. §. 15. Sed numne etiam peculii profectio mentio injicitur? Ita videtur, quia passim occurrit, das Gut/so der Vater dem Sohn ausgegeben. cit. cap. Verum ausgegeben Gut non eandem cum peculio Romanorum profectione naturam habet. Hoc quippe separatum quidem quoad administrationem a bonis patris filio erat concessum; dominium vero illius, & quicquid ex eo acquereretur, pater sibi reservabat l. 7. pr. ff. de donar. l. 46. ff. de pecul. Usyll. de ast. §. 10. l. 49. §. 1. ff. d. A. & A. P. l. 1. §. 1. 4. ff. eod. Illud autem Germanorum quanquam a patre profectum filius plene acquisivit. Conf. Schilt. in exerc. ad ff. 27. §. 85. & seqq. Sed quid hodie juris circa peculiorum acquisitionem? Patri cedere usumfructum peculii ordinarii in plerisque locis usu venit, non tamen ut jure civili ad dies vitæ; l. 1. 4. f. §. 5. C. de bon. qua lib. Nov. 22. c. 34. sed alibi usque ad separatam liberorum Oeconomiam, alibi usque ad illorum nuptias, alibi usque ad illorum majorenitatem Carpz. p. 2. c. 10. d. 7. Zobel p. 3. diff. 5. Hopp. in comment. ad tit. J. per qv. pers. nob. acquir. Imo & hodie matri in Saxonia extra Electoratum usumfr. competere tradunt Dd. Saxonici Wefenb. inparat. ff. de tutel. n. 5. Berlich. p. 2. cond. 12. n. 14. Richt. deeu. 18. n. 25. Quoad peculium profectionum sumtum in terminis legum Romanarum aliter statuendum. Moribus enim Germanorum, ut modo dixi, nullibi occurrit, & hodie si pater filiis separata bona concedit hi in illis pro emancipatis habentur. Schulz. Synop. Ins. quod cum eo qui in alien. potest lit. c. Hahn. in not. ad Wefenb. tit. D de

de pecul. in f. ut inde actio de peculio, & actio Tributoria ab aula concesserit, si cum lege 4. §. 7. C. de Recept. arbitr. loqui fas est.

§. IX.

Jure Prutenico circa acquisitionem bonorum maternorum & paternorum, [eadem enim hoc in passu de matre disposita,] distingvendum esse arbitror, an divisio hereditatis facta sit, an non. Priori casu retinent parentes usumfructum illorum bonorum. Et ita ex parte intelligo textum *Et. in lib. 1. t. 25. a. 14. §. 16. n. 8. v.* Aber andere. *Et in lib. 4. t. 5. a. 7. §. 4.* Nec ad divisionem regulariter cogi possunt, nisi [1] parentes ad secundas nuptias se conferant, quo casu dividere tenentur, alias mulcentur ruri degentes pena 30. guter Mr. in civitatibus habitantes pena arbitria. Ordin. Provinc. *de ann. 1640. p. 21.* Et pater nobilis [de quo mox infra] amittit usumfructum bonorum maternorum, & liberalis alimenta ex propriis bonis præbere cogitur *v. Et. l. 4. t. 15. a. 4. §. 9. 10. & l. 5. t. 14. a. 1. §. 5.* [2] bona liberorum deperdant, [3] liberi majorennæ, i. e. qui compleverunt annum 21. *Et. l. 2. t. 6. a. 8. §. 1.* divisionem urgeant *Et. l. 5. t. 12. a. 5. §. 1. 2. & tit. 14. a. 1. §. 5.* Posteriori casu, facta nimirum divisione, parentes non gaudent usufructu *Et. l. 5. t. 14. a. 1. §. 5. 6.* Wegner in *disput. de differ. jur. Cæs. & Pruten. th. 3. lit. a.* Excell. Dn. Bolz, in *diff. 4. jur. cert. & controv. §. 4. inf. f.* Limitatur hoc in parentibus nobilium, qui in divisione bonorum maternorum usumfructum quodammodo lucrantur, quatenus nimirum correspondet alimentationi in liberos faciendæ *Et. l. 4. t. 15. a. 4. §. 2. 3. 4.* De peculio profectio itidem pater neque Jure Prutenico tenetur. Proc. judic. *t. 25. a. 14. §. 6. n. 8.*

§. IX.

Quod autem parentes bonorum a liberis acquisitorum administratores existant, illud naturalis ratio illis concedit. Equeum quippe est, ut ille, qui sibi & suis bonis consulere nequit, ab alio regatur *§. 6. 7. d. attil. tut.* Inter omnes vero constat fragile esse & infirmum minoris ætatis consilium, & multis captionibus suppositum, multorumque insidiis expositum *l. 1. ff. d. Minor. Contra quas liberi muniendi.* Quis autem esset talis affectus, qui in eo vincere

qui jure cívili solum patri addicuntur.

vinceret paternum? *l. 7. pr. C. d. Curat. furios.* Pertinet huc tute-
la parentum v. Spec. Saxon. lib. 1. art. XI. quam Dd. vocant
naturalem die natürliche Vormundschafft / quando pater post
mortem uxoris bona liberorum materna administrat. Circa qvam
provide statuta quædam sanciverunt, ut parentibus administra-
toribus curatores adjungantur, qui oculum intendant, ne illi in
administrando negligentes sint. *Pr. Et. l. 2. r. 6. a. 2. §. 5. & lib. 5.
r. 17. a. 5. §. 2.* Hoc juris civilis est, quod illa administratio filio,
etiam si justæ aetatis sit, admittatur *l. f. §. 3. C. d. bon. qu. lib.* quod an
hodie in usu sit, ex antecedentibus dijudicandum, ubi dixi, pa-
tri multis in locis usum fructum in bonis liberorum usqve ad le-
gitimam illorum aetatem saltem relinqui. Simul ex dictis innote-
cit quousque filius sine consensu patris in judicio stare queat.

§. X.

Perperam vero à Dd. tanquam effectus P. P. venditatur,
quod filius familias non possit testamentum condere. Ascan.
Clement. d. P. P. c. 14. quia, etiam si pater consentiat, ut filius te-
stamentum faciat, hoc non valet *pr. J. quib. non est perm. fac. test.*
l. 6. ff. de test. Ex eo potius solo proficiscitur, quod testamenti fa-
ciendijus nemo habet, nisi allege: lex autem de solo patre fami-
lias locuta est: *Pater familias ubi super familia pecuniare sua legas sit,*
ita ius esto. v. Anton. Fab. Jurid. Papin. tit. 8. illat. 4. Gilken. in
Comment. ad l. 7. C. qui test. fac. poss. n. 10. Sed numne & hodie ne-
mo, nisi paterfamilias testari potest? Schulzius in *Synops. J. ad tit.*
quib. non est permis. fac. test. illud negat, falso seduictus fundamen-
to, quasi hic unus ex effectibus P. P. sit, quæ hodie cesset. Ego
contendo adhuc hodie testantem patrem familias esse debere.
Vinn. ad *pr. J. quib. non est permis. fac. test.* Nicol. Reusli, *P. 1. d. test.*
c. 28. n. 19. seqq. Recepta enim quoad materiam testamentariam
à Germanis legislatione Romanorum hoc simul receptum, ut te-
stamentum condere volens paterfamilias sit. *l. 3. C. 9. test. fac. poss.*
Struv. *S. J. C. ex. 32. thes. 7. Goden. conf. 70. n. 3. conf. Hartmann.*
praet. Obs. l. 2. tit. 5. observat. 7. & miscell. l. 2. c. 1. obs. 11. Adstipulat
tut Jus Prutenicum *l. 5. t. 1. a. 1. §. 5.* hoc solum adjiciens, ut te-

stans masculus sit 18. fœmina 14. completorum annorum c. l. §.
4. v. 15. ff. q. test. fac. poss.

§. XI.

An vero magnam utilitatem Germani fœnerati sint, quod usum testamentorum Romanis consuetum in Remp. suam introdixerint, non vane hic queritur? Apud veteres Germanos ut in c. i. §. 15. notavi: *Heredes successoresque sui cuique libri, & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradu in possessione, fratres, patrui, avunculi.* Quæ ratio succedendi minus litibus exposita, & naturali hominum inclinationi admodum accommoda videtur. *Liberos enim, ac propinquos suos natura carissimos esse volunt,* inquit Tacitus. Et propinquorum conjunctio non parum inde fortior redditur, imo, ad mutua officia pressius impellitur, quia sciunt, multum benignitatis in se collatumiri. Facit & haec ad splendorem, & conservationem familiarium, & inter cives opum æqualitatem servat vid. Aristot. s. polit. 8. Quanta ex adverso mala testamenta non introduxerunt. Taceo liberrimam illam Romanorum antiquorum, quam le vix alii populi habuerunt, in testamentis condendis facultatem. Ex qua infinita commoda exiisse, fraudes, captationes senum, tabularum suppositiones quilibet fateri necessum habet. Et vel ipsa varietas, & multitudo legum testamentiarum apud Romanos secura, & restricta tandem legandi libertas per varias leges Furiam, Falcidiam &c. loquitur. Add. Conring. *in prefat. ad Corn. Tacit.* Nostris temporibus quam multis Rebus p. liber ille supremæ voluntatis stylus, quem tantopere commendat Constantinus in l. i. C. d. S. S. Eccles. & facultas legandi etiam Catholico & venerabili concilio, nocuerit, & quantis litibus fora involverit, in publicum testimonia extant. Conf. Paulus Venetus in *Consider. Consur. Pauli V. ap. Goldast. tom. 3. Monarch. R. J. Omnes Pragmatici* [inquit Franciscus Hottonianus ap. Conring. c.l.] satentur, quod materia testamentaria, si fons, & nutrita maxima litium pars. Add. Dn Pufend. d. J. N. & G. l. 4. c. ii. §. 18. Communis excusatio, quod testamenti factio per accidens saltem lites pariat ideo hic

hic non apta, quia nullum negotium per se lites parit, sed semper hic in causa est malitia hominum, e.g. communio, & tamen id pro brocardico habetur, quod communio sit mater litium, & propterea in Remp. non debeat introduci.

§. XII.

Dixi filium non posse testari, etiamsi pater consentiat. *v. 1.3. ff. quitestam. fac. poss.* Quod aliter se habet in donatione mortis causa. Hanc jus patris vel impedire, vel firmare potest. *l. 7. §. 4. ff. d. donat. l. 25. §. 1. ff. d. donat. m. c.* Rationem differentia suppedit Gilken. *ad c. l. 3. C. quitestam. fac. n. 32.* Moribus Germanorum antiquis quid obtinuerit, docet *cap. 262. Spec. Svev. sup. in c. 1. §. 15.* Hodie, cum ut supra dictum, pater usum frumentum in bonis liberorum salvum habeat, per donationem mortis causa à filio factam nullum ipsi præjudicium inferri poterit, sed hic si cum effectu donare velit, patris consensum necessario habere debet. *Wesenb. in comm. ff. d. m. c. donat. n. 4. Pr. Er. l. 5. f. 9. a. 1. §. 5.*

§. XIII.

Itidem ex mutuo, inscio patre contracto, filius in potestate existens nec apud Germanos cum effe etu obligabatur. Capit. *225. lib. 7. Caroli & Ludovici ap. Lindenbrog. in C. LL. Antiqu.* Qui filios familias contra interdicta legum inscio patre pecuniam commendavit, eam nec vivente, nec mortuo patre ab eodem poterit postulare. Legibus Romanorum hanc obligationem enervat *SCrum Macedonianum l. 1. §. 1. l. 7. §. 6. l. 9. §. 2. ff. d. Sct. Maced. §. 7. f. quod cum eo qui in alien. pot.* Cujusvis an hodie se exferat, considerandum. Affirmat hoc Tuldene. *in comment. ad tit. de Sct. Macedon. cap. ult.* in certis casibus, quoties creditor sciens filio in luxum pecuniam mutuo dedit, aut sub hac expressa lege, ut post mortem patris cum honore solvatur. Negat Volkmar. Hess. *in quæst. illustr. ult. ad Scrum Macedon.* quia inter Christianos non est presumendum, filios familias ære alieno gravatos vita parentum infidiatiuros esse. Verum quamvis sententia Tuldene de moribus Hollandiae

procederet, & infidiz ejusmodi a filiis Christianis parentibus minime struerentur, non tamen propterea solum hæc lex prohibens filio pecuniam mutuam dare lata est, sed & in odium sceneratorum & ut coarentur juveniles calores, nec filii familias cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos in bonis post exspectare posset. *L. 9. §. pen. ff. de Sto. Macedon. l. 40. pr. ff. d. condit. in deb. v. l. f. §. 5. inf. C. Ad bon. qua lib.* Igitur valet hodie omnino effectus & res ipsa, non tamen ex Sto Mecedoniano, sed ex lege Caroli & Ludovici. Accedit, quod multa statuta illam legem ultra pecuniam etiam ad alias res fungibles extendant; si v. g. Mercatores merces in vestimenta sumtuosiora, item Cauponæ Cupedinariorum &c. filii familias esculenta & poculenta profutè subministrant. Quam in rem statuta plurium Academiarum allegat Dn. Hop. in comment. ad §. 7. *J. quod cum eo.* Eadem in Prussia servantur *Et. l. 1. t. 25. a. 14. §. 1.*

CAP. III.

OSTENDENS USUM MODO- RUM CONSTITUENDI ET DISSOL- VENDI, JUS PATERNUM MORIBUS GERMANORUM.

SUMMARIA.

Nuptie legitime constituunt P. P. §. 1. Ut & legitimatio per subsequens matrimonium, non habito respectu, an cum concubina, meretrice vel adultero matrimonium contractum §. 2. Legitimatio per subsequens matrimonium moribus Germanorum succedunt in feidis. Secus in Prussia §. 3. Legitimatio per rescriptum Principis est modus constituendi jus paternum §. 4. Adoptionis usus moribus Germanorum incognitus hodie itidem rarus §. 5. Emancipatio moribus Germanorum invito patre fieri poterat. Hodiis est rara §. 6. Separatio etiam invito patre liberat liberos &

ros à P. P. §. 7. Matrimonium est modus tollendi jus patrie absque respectu filii & filiae etiam in Saxonia. In Prussia separatio honorum accedere debet. §. 8. Liberi emancipati plene bona sua a patre repetunt. §. 9.

§. I.

Fillum semel ductum nolui distrahere, alias ante usum effectuum juris paterni civilium agendum fuisset de modis jus illud constituendi, quos, ut & modos Germanis usitatos principaliores potestatem hanc dissolvendi brevibus subjicere jam presumo. Acquiritur autem patria potestas moribus Germanorum & que ut jure Romano per justas nuptias pr. J. d. P. P. l. 3. ff. d. bis qui sunt suis vel alien. jur. v. l. 57. §. 1. ff. d. R. N. c. 2. 14. X. qui filii sunt legit. Specul. Saxon. l. 3. art. 27. Pr. Et. l. 2. t. 4. a. 19. §. 1. Documenta hoc leges Caroli & Ludovici in C. L. L. antiquar. ap. Lindenbrog. lib. 7. c. 41. ibi: Non omnis mulier viro juncta uxor est viri neque omnis filius heres est pater. Itaque aliud est uxor, aliud concubina conf. c. 80. 127. 363. Et liberi ex legitimis nuptiis nati patris, non matris conditionem v. l. 19. ff. d. St. bom. sequuntur. Specul. Svev. c. 392. Ein jeglich Kind behält seines Vaters Recht / ob es ihm ehelich bürdig ist. Et quemadmodum leges civiles certum tempus assignaverunt, quo de legitimitate liberorum constare possit, l. 12. ff. d. Stat. Hom. ibique Gothofred. l. 3. §. 11. 12. ff. d. suis & legit. hered. l. 29. pr. in f. ff. d. lib. & possib. Nov. 39. c. 2. ita nec mores Germanorum negligentes extiterunt. Specul. Svev. c. 276. Seind sie tegen Kind / soll man ihr Zahl rechen / zum minsten ein und vierzig Wochen. Die ein Woch ist zu Genaden gesetzet / der Maget ohn ein Vierzig Wochen / die eine Jungfrau gewesen ist / da man ihr den Mann gab. add. Carpz. 4. c. 27. d. 15. Hodie cæteris paribus legitimi sunt, etiam qui I. & II. mense post nuptias nascuntur arg. l. 11. C. d. natural. liber. Lauterb. ad tit. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. ut parentes hoc casu obveniente non omni pena vacent. Jure Prutenico ab omni honesto conventu per quinque annos arcetur. Pr. Et. l. 2. t. l. 3. 2. §. 6.

§. II. Se-

§. II.

Secundus modus constituendi jus paternum ex legibus Romanorum est legitimatio (1) per subsequens matrimonium cum concubina contractum §. 2. f. d. hered. que ab intell. Nov. 89. c. 8. n. 12. §. 4. confessis instrumentis dotalibus §. ult. f. d. Nupt. l. 10. C. d. natural. lib. Speculum Svecicum c. 374. hunc in modum: **Hat aber ein Mann eine Frau zu lediglichen Dingen und hab Kind bey ihr liuel / oder viel / und nimmet sie darnach zu rechter Ehe/ was sie Kind lediglichen mit einander gehabt haben / da sie einander zu der Ehe namen / da sind sie alle rechte Ehe-Kind worden / und erben Eygen / und Lehen von Vater und Mutter / und von andern ihren Freunden/ als woll / als die Kind / die sie hernach gewinnen / so sie einander zur Ehe genommen han.** Quia vero olim apud Germanos moris erat, ut liberi hi legitimandi coram altari tempore matrimonialis benedictionis sub pallio patris starent, aut pallium manibus tenerent, appellari consueverunt ad differentiam reliquorum: Mantel-Kinder. Hodie cum leges imperii omnem concubitum extra conjugium prohibeant Ordin. Polit. d. A. 1577. t. 26. parum adhinc effectum interest, sive concubinam, sive meretricem matrimonio quis sibi jungat Schulz. *Synops. Instit.* §. f. de nupt. lit. b. Imo cum hodie matrimonium cum adultera esse posuit Spec. Svec. c. 371. n. 14. c. 6. X. de eo qui dux. uxor. Carpz. 4. c. 20. d. 16. v. Nov. 134. t. 12. Finckelth. O. 25. n. 10. adulterini eo ad effectum juris paterni etiam legitimabuntur v. Besold. disc. de Nupt. in f. Spec. Svec. c. 372. Spec. Saxon. l. 1. a. 37. Nec amplius ad hanc legitimationem nuptialia instrumenta requiruntur, sed sufficit, si per benedictionem sacerdotalem de affectione maritali constet. Wesenb. conf. 44. n. 44. Jure Prutenico eadem fere statuta l. 2. t. 3. a. 1. & tit. 5. §. 1. lib. 5. t. 12. a. 1. §. 9. nisi quod eo probatio de affectu maritali hoc in casu quoconque modo fieri possit. Vid. Mev. 2. dec. 81.

§. III.

Et haec legitimatio tanti ponderis est, ut inde legitimati in feudis succedant, per d. cap. 374. ibi Eygen und Lehen. Quod adhuc hodie plurimis in locis viget, pro eaqve sententia judicavit Camera

Camera Imperialis. Mynfig. 5. o. 42. conf. Carpz. 3. c. 28. d. 17.
 Obst. Cap. Naturales 2. F. 26. ibi : *Natumles filii, licet postea si sunt legitimi ad successionem feudi, nec soli, nec cum aliis admittuntur.* Vel dicendum Longobardorum mores à consuetudine reliquorum Germanorum diversi quid introduxisse. Feudalia enim distinctiones fuere in Longobardica, Svevica & Saxonica illustr. Dn. Stryck. in *diss. prælim. usus mod.* §. 15. Aut afferendum capitulum illud commode legitimatis per Rescriptum Principis explicari posse. Vid eund. in *tr. de success. ab intest. diss. 1. c. 3.* §. 28. Vel affirmandum capitulum loqui de legitimatione ab ipsis naturalibus liberis post mortem patris aut alias eo invito quæsita. Conf. §. seqq. Jure Prutenico legitimati per subsequens matrimonium feudorum non sunt capaces, *Ex. l. 2. t. 5. §. 1. Et lib. 7. t. 2. §. 10.*

§. IV.

Secundus legitimandi modus Romanorum per oblationem curia §. f. 7. d. *Nupt.* §. 2. *J. d. hered. que ab intell. l. 3. 4. C. d. natur. lib. Nov. 89. c. 2. seqq. Germanis incognitus hodie non est in usu. Magis nota legitimatio per Rescriptum Principis Spec. Svev. cap. 374. Gewinnet ein Mann einen Sun unehelichen / den mag der Kayser woll zu einen Ehe-Kind machen. Aber der Kanser mag ihnen das Recht nimmer geben: daß sie erben mit andern Magen/als ob sie ihrer Mutter Leyb Ehe-Kind weren gewesen. Aber gewinnen sie Ehe-Kind die erben ihre Mage woll / ob sie zu Ehe-Kinder sind gemacht. Hodie & Comites Palatini, quibus hoc specialiter ab Imperatore indulsum, legitimare possunt. Carpz. 3. c. 6. d. 16. Imo non tantum Imperator, sed & status vi superioritatis territorialis hac potestate pollut, ut tamen hujus legitimatis effectus ultra illorum territoria non extendatur. Illustr. Dn. de Rhet. *Inst. jur. publ.* l. 2. t. 9. §. 11. Illa vero requisita, quæ jure civili ad hanc legitimationem adhibentur, quæqua exhibet Novell. 89. c. 9. omnia fere aliter hodie se habere pluribus ostendit Dn. Stryck. in *us. modern. ad tit. de his qui sunt sui vel.**

E

§. V. Ter-

§. V.

Tertius modus jus paternum acqvirendi est adoptio, quæ legibus Romanorum varie subdistinguitur §. i. f. l. i. §. i. l. z. pr. f. d. Adopt. Colleg. Jur. Argent. ad b. tit. Jura Germaniaæ non multum de adoptionibus disponunt. Glossator Speculi Saxonicæ textum l. 2. art. 30. de adoptione loqui putat, ut & Ben. Reinh. diff. 15. n. 7. ap. Zobel. diff. jur. civ. & Saxon. p. 2. diff. 15. Sed displicet hoc Schiltero in exerc. adff. 43. §. 35. existimanti hæredis constitutionem extra testamentum ibi denotari, illumq;e textum explicari per constit. Car. M. l. 2. LL. Longobard. t. 10. ap. Lindebrag. in C. LL. Antiqu. ibi: *Qui filium legitimum non habuerit, & alium quemlibet hæredem sibi facere voluerit, coram Comite, vel coram Rege & Scabinis vel Misso Dominico, qui tunc ad justitiam faciendam in provincia fuerine ordinati, iudiciorum faciat.* Conf. Cap. Caroli l. 6. c. 207. Et qvamvis rubrica dicta const. loquatur de adoptione abusive tamen id fieri. Qvicq;id horum sit, hodie non magnum usum adoptionis esse testantur Vinn. ad pr. f. d. adopt. Lauierb. in Compend. jur. tit. de adopt. Nec apud Borussos observari. Wagn. de differ. jur. Cesari. & Pruten. tb. 3. l. d.

§. VI.

Superest ut paucis inquiram de modis principalioribus, quib; moribus Germaniaæ jus paternum dissolvitur. Secundum jus naturæ, regulariter liberi ex sacris paternis discedere nequeunt, nisi de alimentis sibi prospicere, & actiones suas in commodum suum dirigere possint. Dn. Præses in Iprud. div. l. 3. c. 4. §. 53. seqq. Jure Romanorum pater nullo pene modo cogi poterat, quo filium, etiam mature ætatis & judicii, à potestate dimitteret. §. ult. f. qvib. mod. jus patr. potest. solv. Sed volens recta via ad competentes judices vel magistratus intrare, & filios vel filias à potestate sua liberare potest, §. 6. f. d. t. v. l. 5. C. d. Emancip. liber. Nov. 89. c. 1. pr. Moribus Germanorum filius, qvij vigesimum qvintum ætatis annum compleverat, patrem ad emancipationem adigere poterat. Spec. Svev. c. 282. relatum in §. 5. cap. præced. Et c. 316. Ein

jus paternum moribus Germanorum.

Ein Sun nötet seinen Vater woll mit rechte / so er fünf und zwanzig Jahr alt ist / daß er sein Gut mit ihm theilen muß. Specul. Sax. l. 2. art. 10. *Pater coram iudicio filium emancipare i.e. separare à se poterit quantumcumque parve res sint, quibus emancipetur, dummodo per eum fuerint acceptatae.* Exemplum emancipationis coram Camera Imperiali factæ de Comite qvodam adducit Bocer. Clas. t. d. 13. ib. 29. Interim rarissimam esse hanc emancipationem fateatur Lauterbach ad tit. d. Adept.

§. VII.

Magis frequentatur tacita, ut vocant, emancipatio, qvando liberi separatam à paterna instituunt rerum domesticarum administrationem, & Oeconomiam v. Nov. Leon. 25. inf. Et hoc communis Germanicæ obseruant solvit nexus paternum. Hahn ad Wesenb. tit. d. Adept. n. 7. Requiritur tamen jure Saxonico, ut liberis legitimam aratatem adepti sint Carpz. 2. c. 10. d. 1. n. 6. Quod Wartenbergensibus etiam in usu. Bürtenb. Et. p. 2. tit. 18. §. es mögen. An autem patris consensus ad hanc separationem adhibendus sit, non unanimis doctorum mens est. Si secundum mores Germanorum qvæstio decidenda, puto qvod non. Ex supra enim allegato Cap. 282. & 316. Spec. Suev. evidentissime constat filium patrem invitum ad emancipationem judicialiter adstringere potuisse. Moller ad Conf. Saxon. 10. n. 9. Carpz. c. def. n. 4.

§. VIII.

Per matrimonium qvoque moribus Germanorum liberi à patria potestate liberantur, Vultej. ad §. ult. J. qb. mod. jus p. p. solv. n. ult. inf. secus acjure civili l. 20. ff. ad L. Jul. d. adult. l. 18. C. de Nupt. Et hunc modum dissolvendi jus paternum apud plerosque populos inductum esse probat Berlich. p. 2. concl. 11. n. 33. seqq. Hincqye cessat dispositio §. 3. J. d. P. P. quod nepos sit in potestate avi. Saxones differentiam constituant inter filium & filiam. Ille per solas nuptias non exit è patris potestate, nisi & separatam Oeconomiam instituat. Filia vero, quamvis in con-


viectu patris permaneat, nihilominus patriæ potestati exempta est. Rauchbar p. 2. qv. 18. n. 24. quæ distinctio an principiis Juris Germanici conveniat, dubito, defensurus, & filium jure Saxonico per meras nuptias à patria potestate liberari, nisi ostendatur lex in contrarium. Jure Prutenico matrimonium jus patris solvere, non dubito assérere arg. lib. 4. t. 15. a. 4. §. 3. junct. l. 2. t. 6. a. 8. §. 2. modo liberi à convictu patris separati sint, quod probo per lib. 1. tit. 25. art. 14. §. 2. ubi nepotes dicuntur esse in potestate avi, cuius asserti veritas vacillaret, si sole nuptiæ liberos apud Borussos sui juris facerent.


§. IX.

Qvod si liberi ita egrediantur ex patris potestate, hic illis omnia illorum bona, qvorum ususfructu haetenus potius, restituere tenetur, nec ut jure civili §. 2. J. p. qv. pers. nob. acquir. pro præmio emancipationis dimidium ususfructus illorum retinere potest. Carpz. 2. c. 10. d. 8. Et hæc attulisse sufficiat. Plura vid. ap. Berlich. cit. conclus. II. p. 2. Cæterum facile mihi àte B. L. veniam policeor, si minus accurate, & comte qvædam hic inserta reperies, modo cogitaveris in omnibus irreprehensibilem seuinemendabilem existere, divinæ solius, non autem mortalis esse constantiae.

Erratum Typographicum.

Pag. 5. post lin. 4. Verba: a quo, lege: quando Resti. novum consensum. Et eadem verba dele in lin. 6. Cæterum, si qvæ alia occurrent, B. L. festinationi dabit.





Ka 3755. 5


f



TA-70L

nur auf Z2 verknüpft

10/17





J
67

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
**USU JURIS PATER-
NI ROMANORUM SECUN-
DUM MORES GERMA-
NIÆ ET JUS BORUSSICUM
REVISUM.**

Quam
Auspice Deo, ex Decreto Amplissimæ
FACULT. JURIDICÆ
IN ILLUSTRI FRIDERICIANA,
SUB PRÆSIDIO
Dn. CHRISTIANI THOMASII, JC.
Sereniss. & Potentiss. Elector. Brandenb.
Consiliarii, Prof. P. Universitatis FRIDERICIANÆ,
& Facultatis Juridicæ Senioris,
PATRONI AC PROMOTORISSUI
DEVENERANDI
PRO LICENTIA
Summos in jure consequendi honores
D. 27. Junii M. DC. XCIV. Horis matutinis a 7. usque ad 12.
Publicæ Eruditorum censuræ submitteret
ZACHARIAS HESS. Regiom. Pruss.
HALÆ, LITERIS Salfeldianis. ANNO M DCC IV.